

## *Les embauas de Rome*

Plurimus hic aeger moritur uigilando; set ipsum  
languorem peperit cibus imperfectus et haerens  
ardenti stomacho. Nam quae meritaria somnum  
admittunt? Magnis opibus dormitur in Vrbe.

235

Inde caput morbi. Raedarum transitus arto  
uicorum inflexu et stantis conuicia mandrae  
eripient somnum Druso uitulisque marinis.

Si uocat officium, turba cedente uehetur  
diues et ingenti curret super ora Liburna  
atque obiter leget aut scribet uel dormiet intus;

240

namque facit somnum clausa lectica fenestra.  
Ante tamen ueniet: nobis properantibus opstat  
unda prior, magno populus premit agmine lumbos

245

qui sequitur; ferit hic cubito, ferit assere duro  
alter, at hic tignum capiti incutit, ille metretam.

Pingua crura luto, planta mox undique magna  
calcor, et in digito claus mihi militis haeret.

Nonne uides quanto celebretur sportula fumo?

Centum conuiuae, sequitur sua quemque culina.

250

Corbulo uix ferret tot uasa ingentia, tot res  
inpositas capiti, quas recto uertice portat  
seruulus infelix et cursu uentilat ignem.

Scinduntur tunicae sartae modo. Longa coruscat  
serraco ueniente abies, atque altera pinum  
plaustra uehuint, nutant alte populoque minantur.

255

Nam si procubuit qui saxa Ligustica portat  
axis et euersum fudit super agmina montem,  
quid superest de corporibus? Quis membra, quis ossa  
inuenit? Obtritum uulgi perit omne cadauer  
more animae.

260

*Juvénal* *Særies III*